



EIN



A. 6. 443
Luther

nebst 4 andern Verfass.

(1-5)

PK(2)



Sammelband interessante

altm. Katechismen!

Die beiden ersten Mezden
bürgerl. Katechismen.



Martin Luthers

[Der kleine Katechismus, lat.]



PARVVS
CATECHIS=

MVS PRO PVERIS

in Schola nuper au-

ctus.

PER

MART. LVTH.



MAGDEBURGAE,

Ex Officina Typographica VVolf-
gangi Kirchneri,

Anno

M. D. LXXVIII.

IOHANNES

SAVRMANNVS HER-
manno Croto Rubiano.

S. D.



Emo non est in ea senten-
tia, consultissimum esse, pue-
ros statim ab ineunte ætate,
Christianæ pietatis princi-
pia sedulo ac diligenter im-
bibere. Quod cum e nulli-
us hominis scriptis, quam
D. Mart. Luth. omnium huius ætatis Theolo-
gorum principis, commodius fieri posse existi-
marem, vtcunq; donavi latinitate eiusdẽ viri
libellum, quem paruum Catechismum vo-
cant, in hoc, vt pueris meis, qui iam hæc rudi-
menta germanice nouerant, eadem latine di-
scenda quoq; proponerẽ, Et quia hic libellus,
humanissime Hermanne, ipsius autoris confi-
lio ac iussu in publicum emittendus erat, eum
tibi dicare placuit, vt pro singulari tuo erga
me amore, qualemcunq; tandem grati animi
significationem ostenderem. Et bona spes ha-
bet me, fore vt hanc meam operam, pro tua
humanitate, æqui boniq; sis consulturus, Va-
le feliciter. III. Calendas Octobris.



A a b c

d e f g

h i k l m n o

p q r s t v u

w x y z

Vocales.

a e i o u y

Consonantes.

b c d f g h k l m n p q r

s t x z

A 2

Vocales

a b c d e f g h i k l m n o p q r s r
u x y z.

VOCALES.

a e i o u y.

DIPHTHONGI.

Sic scri-	{ æ au eu ei	Sic le-	{ e ae eu i.
bun-		gun-	
tur.		tur.	

CONSONANTES.

b c d f g h i k l m n p q r s t x z.

SEQVUNTUR SYL-
labæ.

CONSONANTES VOGALI- bus antepositæ.

Ba	be	bi	bo	bu.
Ca	ce	ci	co	cu.

Chs

Cha	che	chi	cho	chu,
Da	de	di	do	du.
Fa	fe	fi	fo	fu.
Ga	ge	gi	go	gu.
Ma	me	mi	mo	mu.
Na	ne	ni	no	nu.

VOCALIS PRAEPOSITAS
Consonantibus.

Ab	eb	ib	ob	ub.
Ac	ec	ic	oc	uc
Ad	ed	id	od	ud.
Af	ef	if	of	uf.
Ag	eg	ig	og	ug.
Al	el	il	ol	ul.
Am	em	im	om	um.

VOCALIS INTRA DVAS
Consonantes.

Bab	beb	bib	bob	bub.
Bac	bec	bic	boc	buc.
Bad	bed	bid	bod	bud.
Baf	bef	bif	bof	buf.
Bag	beg	big	bog	bug.

A 3

Due

DVAE CONSONANTES
ante Vocales.

Bda	bde	bdi	bdo	bdu.
Bla	ble	bli	blo	blu.
Bra	bre	bri	bro	bru.
Clā	cle	cli	clo	clu.
Cma	cme	cmi	cmo	cmu.
Cna	cne	cni	cno	cnu.

TRES CONSONANTES
vocalibus præpositæ.

Stla	stle	stli	stlo	stlu.
Stra	stre	stri	stro	stru.

[CONSONANTES VOCA-
libus præpositæ.

Abs	abs	ibs	obs	ubs.
Alx	elx	ilx	olx	ulx.
Anc	enc	inc	onc	unc
Ans	ens	ins	ons	uns
Ars	ers	irs	ors	urs.

DECEM

DECEM PRÆ-
CEPTA.

I.

Non habebis Deos alios
nos.

II.

Non assumes nomen Do-
mini Dei tui in vanum.

III.

Memento ut diem Sabbati
sanctifices.

III.

Honora patrem et ma-
trem / ut sis longeuus super
terram.

V.

Non occides.

A 4

Non

VI.

Non moechaberis.

VII.

Non furtum facies.

VIII.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

IX.

Non concupisces domum proximi tui.

X.

Nec desiderabis uxorem eius / non seruum / non ancillam / non bouem / non asinum /

num/ nec omnia quae illius
sunt.

SYMBOLVM.



REdo in DEum
Patrem omnipotē-
tentem / Creato-
rem coeli et ter-
rae. Et in Iesum Christum
Filium eius unicum Domi-
num nostrum / qui conceptus
est de Spiritu Sancto / Na-
tus ex Maria virgine / Pas-
sus sub Pontio Pilato / Cru-
cifixus / mortuus / et sepul-

A S tus /

tus / Descendit ad inferna / ter-
tia die resurrexit a mortuis /
Ascendit ad coelos / sedet ad
dexteram Dei patris / omni-
potentis / Inde venturus est
iudicare viuos et mortuos.

Credo in Spiritum san-
ctum / sanctam Ecclesiam
Catholicam / Sanctorum
communione / Remissio-
nem peccatorum / Carnis re-
surrectionem / Et vitam aeter-
nam / Amen.

Ora

ORATIO

DOMINICA.



Pater noster qui es
in coelis. Sancti-
ficetur nomen tu-
um. Adueniat re-
gnum tuum. Fiat voluntas
tua / sicut in coelo et in terra.
Panem nostrum quotidiana-
num da nobis hodie. Et di-
mitte nobis debita nostra /
sicut et nos dimittimus debi-
toribus nostris. Et ne nos
inducas in tentationem. Sed
libera nos a malo / Amen.

De

DE SACRAMENTO
BAPTISMI.

EVntes docede omnes gen-
tes / Baptisantes eos / in
nomine Patris / et Filij / et
Spiritus Sancti. Qui credi-
derit et Baptisatus fuerit / sal-
uus erit / Qui vero non credi-
derit condemnabitur.

DE SACRAMENTO
ALTARIS.

DOMINUS noster IESUS
Christus in ea nocte / qua
traditus est / accepit panem /
G

et postquam gratias egisset /
fregit / ac dixit. Accipite / co-
medite / Hoc est corpus meū /
quod pro vobis datur / Hoc
facite in mei commemoratio-
nem.

Similiter et postquam coe-
navit / accepto calice / cum
gratias egisset / dedit illis di-
cens / Bibite ex hoc omnes.
Hic calix novum Testamen-
tum est in meo sanguine / qui
pro vobis effunditur in re-
missionem peccatorum. Hoc
facite / quotiescunque biberi-
tis /

die / in mei commemoratio
nem.

QVO PACTO PAEDAGOGI
suos pueros, decem Præcepta
simplicissime docere
debeant.

I.
Non habebis Deos alios
nos coram me.

Quid hoc sibi vult?

Responsio.

Debemus Deum super omnia timere,
diligere, & illi confidere.

II.
Non assumes nomen Do-
mini Dei tui in vanum.

Quid hoc sibi vult?

Responsio.

Debe-

Debemus Deum timere & diligere, ve
ne per nomen eius maledicamus, iuremus, in-
cantemus, mentiamur aut dolis fallamus, Sed
in omni necessitate illud inuocemus, adore-
mus, & cum gratiarum actione laudemus.

III.

**Memento vt diem Sabbati
sanctifices.**

Quid hoc sibi vult?

Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ne
diuinos sermones, eius uerbum, contempa-
mus, Sed vt sanctum reputemus, libenter au-
diamus & discamus.

IIII.

**Honora Patrem et Ma-
trem/ vt sis longaeuus super
terram.**

Quid hoc sibi vult?

Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ne
paren-

parentes, & dominos nostros contemnamus,
neq; ad iram commoueamus, Sed honore af-
ficiamus, illis seruiamus, morem geramus,
amore eos prosequamur, & magnificiamus.

V.

Non occides.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ne vi-
ta proximi nostri incommodemus, aut ægre
faciamus, sed illum adiuuemus, & promouea-
mus, in omnibus vitæ necessitatibus.

VI.

Non moechaberis.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, vt
caste & pudice viuamus, in verbis ac operi-
bus, vt vnusquisq; suam coniugem amet &
honoret.

Non

VII.

Non furtum facies.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ne proximo suam pecuniã, aut bona sua auferamus, neq; falsis mercibus aut impostura ad nos pertrahamus, Sed demus operã vt illius opes conseruẽtur, & eius conditio melior redatur.

VIII.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ne proximum falsis mendacijs inuoluamus, prodamus, traducamus, aut infamia aliqua afficiamus, Sed illum excusemus, aliquid boni de eo loquamur, omnia in meliorem partem interpretantes.

IX.

Non concupisces domum proximi sui.

B

Quid

Quid hoc sibi vult?

Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ne hereditatem vel domum proximi, dolo malo captemus, & sub specie recti, nostris facultatibus adiungamus, sed detur opera sedulo, ut ista proximo diligenter custodiantur.

X.

Nec desiderabis uxorem eius / non Seruum / non Ancillam / non Bouem / non Asinum / nec omnia quae illius sunt.

Quid hoc sibi vult?

Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ne a proximo, uxorem, seruos, ancillas, vel pecudes suas abalienemus aut abstrahamus, Sed illos adhortari oportet ut maneant, & suum officium diligenter faciant.

Quid autem summam dicit Deus de his praeceptis omnibus?

Responsio. Sic dicit Exodi xx.

Ego

Ego sum Dominus Deus
tuus / fortis zelotes / visitans
iniquitatem patrum in fili-
os / in tertiam et quartam
generationem eorum / qui ode-
runt me / et faciens misericor-
diam in multa millia / his qui
diligunt me / et custodiunt
praecepta mea.

Quid hoc sibi vult?

Responsio.

Deus minatur poenam omnibus qui ista
praecepta transgrediuntur, Debemus itaque ex-
pauescere & timere iram Dei, & nihil contra
huiusmodi praecepta facere. Rursus promittit
etiam suam gratiam, & omnia bona omnibus
qui mandata observant. Merito igitur debe-
mus nos Deum diligere, & illi confidere, &
iuxta mandata eius omnem nostram vitam,
sedulo & diligenter instituire,

B 3

Quo

QVO PACTO PAEDAGOGI
suos pueros Symbolum Apostoli-
cum simplicissime docere
debeant.

ARTICVLVS PRIMVS.
de Creatione.

**Credo in Deum Patrem
omnipotentem / Creatorem
Coeli et terrae.**

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Credo quod Deus creauit me vna cum
omnibus creaturis. Quod corpus & animam,
oculos, aures, & omnia membra, rationem &
omnes sensus mihi dedit, & adhuc sustentat,
Ad hæc, quod vestes & calceos, cibum ac po-
tum, domum vxorem, liberos, agros, iumen-
ta & omnia bona, cum omnibus vitæ neces-
sarijs, copiose & quotidie largitur, me contra
omnia pericula protegit, & ab omnibus malis
liberat ac custodit. Et hæc omnia ex mera sua
paterna, ac diuina bonitate & misericordia, si-
ne vllis meis meritis, aut vlla dignitate. Pro
quibus omnibus illi gratias agere, pleno ore
laudem

dem tribuere, inferuire, obsequi merito de-
beo, Hoc certissime verum est.

ARTICVLVS SECVNDVS
De Redemptione.

Et in Iesum Christum
Filium eius vnicum Domi-
num nostrum / qui conceptus
est de Spiritu sancto / Natus
ex Maria virgine / passus sub
Pontio Pilato / Crucifixus /
Mortuus / et sepultus / descen-
dit ad inferna / tertia die resur-
rexit a mortuis / Ascendit ad
coelos / sedet ad dexteram Dei
patris omnipotentis / Inde
B 3 ven-

**uenturus est iudicare viuos
et mortuos.**

Quid hoc sibi vult ?

Responsio.

Credo quod Iesus Christus verus Deus,
a patre ante secula genitus, Idemq; verus ho-
mo natus ex Maria virgine, sit meus Domi-
nus, qui me perditum & damnatum hominē
redemit, & ab omnibus peccatis, a morte, a
potestate Satanae liberauit non quidem auro
& argento, sed suo sancto ac precioso sangui-
ne, suaq; immerita passione & morte, vt ego
essem proprie suus, & in suo regno sub ip-
so viuerem, ac liberaliter seruirem in perpe-
tua iusticia & innocentia, perinde ac ipse a
morte surrexit, viuit & regnat in æternum.
Hoc certissime verum est.

ARTICVLVS TERTIVS,
de Sanctificatione.

**Credo in Spiritum san-
ctum / sanctam Ecclesiam Ca-
tholicam**

tholicam / Sanctorum com-
munionem / Remissionem
peccatorum / Carnis resurre-
ctionem / et vitam aeternam /
Amen.

Quid hoc sibi vult ?

Responsio.

Credo me proprijs rationis meæ viribus
Iesu Christo Domino meo fidere, aut ad eum
accedere, nullo modo posse: Sed spiritus san-
ctus per Euangeliū me vocavit, suis donis il-
luminavit, recta fide sanctificavit & conserva-
vit. Quemadmodum solet totam Ecclesiam
in terra, vocare, congregare, illuminare, sancti-
ficare, & in Iesu Christo per rectam vnicam fi-
dem conservare, in qua Ecclesia, mihi & om-
nibus Christianis omnia peccata quotidie be-
nigne remittit, & nos omnes in extremo die
a morte suscitabit, mihi & omnibus in Chri-
stum credentibus, vitam æternam daturus.
Hoc certissime verum est.

B 4

Quæ

QVO PACTO PAEDAGOGI
suos pueros Orationem Domi-
nicam simplicissime do-
cere debeant.

Pater noster qui es in caelis.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Deus amanter nos hac praefaciuncula in-
uitat, vt vere credamus, eum nostrum verum
patrem, nosq; eius veros filios esse, vt eum
confidentius, pleni fiducia oremus, Quemad-
dum videmus liberos certa fiducia aliquid a
parentibus suis rogare.

PRIMA PETITIO.

Sanctificetur nomen tuum.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Nomen Dei per se quidem sanctum est,
Verum nos oramus hac petitione, vt apud
nos quoq; sanctificetur.

Qua ratione fit istud? Responsio.

Cum verbum Dei pure & sincere docetur,
& nos secundum illud, vt Filios Dei decet, pie
viiuimus, in quo adiuua nos mi Pater, qui es in
caelis. Qui vero aliter docet, uel viuit, quam
verbum Dei docet, ille nomen Dei inter nos
pro.

prophanat, Ne autem hoc accidat, tu provide
mi Pater cœlestis.

SECUNDA PETITIO.
Adueniat regnum tuum.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Regnum Dei venit etiam per se, sine no-
stra oratione, Sed petimus hac petitione, vt
ad nos quoq; perueniat.

Qua ratione fit istud? Responsio.

Cum Pater cœlestis dat nobis suum san-
ctum Spiritum, vt suo sancto verbo, per suam
gratiam credamus, ac pie hic temporalem, il-
lic æternam vitam agamus,

TERTIA PETITIO.
**Fiat voluntas tua/ sicut in
coelo et in terra.**

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Bona ac misericors Dei voluntas fit quoq;
sine nostra oratione, sed rogamus hac petiti-
one, vt etiam fiat apud nos in cordibus nostris.

Qua ratione fit istud? Responsio.

Cum Deus frangit atq; impedit omne
malum consilium & voluntatem, quæ nobis
nomen Dei non sanctificant, regnumq; eius,

B 5 ad

ad nos peruenire non sinunt, vt est Diabolus,
mundi & carnis nostræ voluntas, Deinde cū
confortat & conseruat nos firmiter, in suo
verbo & fide, vsq; ad finem vitæ nostræ. Hæc
est sua misericors & bona voluntas.

QVARTA PETITIO.

**Panem nostrum quotidiana
num da nobis hodie.**

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Deus dat quidem omnibus panem quo-
tidianum, quamuis non petamus, etiam ma-
lis hominibus. Sed nos precamur hac peti-
tione, vt cognoscamus hoc, atq; ita panem
nostrum quotidianum cum gratiarum actio-
ne accipiamus.

Quid autem significat panis quoti-
dianus? Responsio.

Significat omne, quod ad vitæ nostræ
necessitatem & sustentationē pertinet, velu-
ti cibum, potum, vestes, calceos domum, are-
am, agros, pecudes pecuniam, diuitias, probā
coniugem, probos liberos, probos seruos, pro-
bum ac fidum magistratum, bonum reip. sta-
tum

rum, commodam aeris temperiem, pacem, ianitatem, modestiam, honorem, bonos amicos, fidos vicinos, & id genus alia.

QVINTA PETITIO.

Et dimitte nobis debita nostra / sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Petimus hac prece, ne Pater cœlestis velit spectare peccata nostra, atq; ita istorū remissionem nobis denegare. Quandoquidem nullis rebus quas petimus, digni sumus, nec quicquā mereri possumus, Sed vt velit nobis sua gratia largiri omnia. Quia quoditie multifariam peccamus, & nihil nisi pœnā meremur. Tunc nos quidem vicissim ex corde condonabimus ijs, a quibus in nos peccatum est, illisq; libenter beneficiemus.

SEXTA PETITIO.

Et ne nos inducas in tentationem.

Quid

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Deus quidem neminem tentat, Sed tamen petimus hac petitione, vt ipse nos custodiat & conseruat, ne Satanas, mundus, & caro nostris nobis imponant, & nos a recta fide ad superstitionem, desperationem atq; alia grauius scelera & flagitia seducant, & vt maxime eiusmodi tentationibus sollicitemur, ne succumbamus, sed vt tandem vincamus ac triumphemus.

SEPTIMA PETITIO.

Sed libera nos a malo.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Oramus hac prece tanquam summam, vt pater noster qui in caelo est, liberet nos ab omnibus malis ac periculis, corporis & animae, bonorum & honorum, Et vt tandem, cum hora mortis venerit, felicem vitae exitum largiatur, nosq; pro sua gratuita bonitate, ex hac miseriarum ualle ad se in caelum recipiat.

Amen.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Vt ego

Vt ego sim certus, eiusmodi petitiones à
Patre nostro cœlesti esse acceptas atq; exaudi-
tas. Quia ipse nobis mandauit, vt ad istū mo-
dum oremus, promisitq; se nos exauditurum
esse, Amen, Amen, id quod significat certe,
certe, hæc debent ita euenire.

QVO PACTO PAEDAGOGI
suos pueros Sacramentum Baptis-
mi simplicissime docere
debeant.

PRIMUM.

Quid est Baptismus? Responsio.

Baptismus non est simpliciter aqua, sed
quæ sit diuino mandato inclusa, & verbo Dei
comprehensa.

Quod est igitur tale verbum Dei?

Responsio.

Vbi Dominus noster Iesus Christus dicit
Matthei vltimo.

**Euntes / docete omnes
gentes / Baptisantes eos in
nomine Patris / et Filij / et
Spiritus Sacnti.**

SECUNDE

SECUNDVM.

Quid præstat aut confert Baptismus?
Responsio.

Operatur condonationem peccatorum,
liberat a morte, a diabolo, & donat æternam
beatitudinẽ omnibus, qui credunt, hoc quod
verba & promissiones diuine pollicentur.

Quæ sunt illa verba & promissiones
diuinæ?
Responsio.

Vbi Dominus noster Iesus Christus di-
cit Marci ultimo.

**Qui crediderit et Bapti-
satus fuerit / saluus erit / Qui
vero non crediderit / condem-
nabitur.**

TERTIVM.

Qui potest aqua tam magnas res effi-
cere?
Responsio.

Aqua procul dubio non efficit, Sed ver-
bum Dei iuxta aquam, & vna cum aqua, & fi-
des

des, quæ tali verbo Dei in aqua credit. Quia aqua sine verbo Dei, est simpliciter aqua & nõ Baptismus, Sed si verbum Dei adñcitur, est Baptismus, hoc est, salutaris aqua vitæ, & lauacrum regenerationis in Spiritu sancto, sicut Paulus ait ad Tit. 3.

Sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter, per Iesum Christum seruatorem nostrum, vt iustificati illius gratia, Heredes efficeremur iuxta spem vitæ æternæ, in dubitatus sermo.

Q V A R T V M.

Quid significat ista in aquam immersio? Responsio.

Significat quod vetus Adam debet subinde per mortificationem ac pœnitentiam in nobis submergi & extinguui, cū omnibus peccatis & malis concupiscentijs, atq; rursus quotidie emergere ac resurgere nouus homo, qui in sanctitate & iusticia coram Deo viuat in æternum.

Vbi hoc scriptum est? Responsio.

Sanctus Paulus ad Rom: 6, dicit, Sepul-
ri

igitur sumus vna cum Christo per Baptis-
mum in mortem, vt quemadmodum excita-
tus est Christus ex mortuis, per gloriã patris,
ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

QVO PACTO PAEDAGOGI
suos pueros breuem confitendi ra-
tionem simplicissime do-
cere debeant.

Reuerende & chare Domine, per ego te
Deum oro, da mihi ad animæ meæ consolati-
onem, fidele consilium.

QVIDNAM CONSILII EX-
petis? Responsio.

Ego miser homo, confiteor & conqueror
tibi, coram Deo, Domino meo, quod sim mul-
torum peccatorum reus, atq; a deo nullis non
iniquitatibus obnoxius, Mandata Dei nõ ser-
uo, Euangelicæ doctrinæ non vere credo, Ni-
hil boni facio, Mala & aduersa non patienter
fero. Præcipue autem perpetravi hoc vel il-
lud, quod conscientiam meam grauat. Qua-
propter quæso, dic mihi loco Dei, peccatorũ
meorum solutionem, & consolare me verbo
Dei.

ALIA CONFITENDI
Forma.

Ego

Ego libere confitendo, tanquam falsus peccator, accuso me coram Deo & apud te, quod omnibus peccatis & incredulitatis, & blasphemiae Dei plenus sum. Sentio enim verbum Dei nullum in me facere fructum, illud quidem saepe audio, sed ex corde ac serio non amplector. Deinde charitatis officia erga proximum non exerceo, Irascor & invideo illi, ipsum odio persequens. Sum impatiens, auarus, & ad omne malum propensus. Quamobrem cor meum & conscientia mea valde grauata sunt, libenterq; ab eiusmodi peccatis liberarer, Obsecro vt velis paruam fidem meam confirmare, & territam meam conscientiam, per verbum Dei atq; promissionem consolari & erigere.

Cur vis Sacramentum altaris
sumere?

Propterea, quod volo animam meam
ex aequo Dei verbo atq; signo confirmare, &
ita peccatorum meorum gratiam consequi.

Tamen in confessione consequeris
remissionem peccatorum?

Responsio
C

Quid

Quid tum postea? Ego volo etiam Sa-
cramentum, nobis a Christo tanquam signū
gratiæ relictum, simul cum uerbo sumere, atq;
ita uerbum Dei subinde accipere. Quo enim
sæpius hoc melius.

QVO PACTO PAEDAGOGI
suos pueros Sacramentum Altaris
simplicissime docere
debeant.

Quid est Sacramentum Altaris?
Responsio.

Sacramentum Altaris est uerum corpus
& uerus sanguis Domini nostri Iesu Christi
sub pane & uino, nobis Christianis ad mandu-
candum & bibendum, ab ipso Christo insti-
tutum.

Vbi hoc scriptum est? Responsio.
Sic scribunt sancti Euangelistæ, Matthæ-
us, Marcus, Lucas, & sanctus Paulus.

DOMINUS noster Ie-
sus **CHRISTUS** in ea nocte/
qua traditus est / accepit pa-
nem

nem / et postquam gratias
egisset / fregit ac dixit. Accipite
te / comedite / Hoc est / Corpus
meum / quod pro vobis datur
Hoc facite in mei commemo-
rationem.

SIMILITER et postquam
coenavit / accepto calice / cum
gratias egisset / dedit illis di-
cens / Bibite ex hoc omnes.
Hic calix novum Testamen-
tum est in meo sanguine / qui
pro vobis effunditur in re-
missionem peccatorum. Hoc
C 2 facite

facite / quotiescunque biberis
tis / in mei commemoratio-
nem.

Quid vero prodest sic comedisse & bi-
bisse? Responsio.

Id indicant nobis hæc verba, P R O
V O B I S D A T V R & effunditur in remis-
sionem peccatorum. Nempe quod nobis in
Sacramento condonatio peccatorum, vita &
iustitia, per hæc verba tribuuntur, Vbi enim
remissio peccatorum est, ibi est & vita & iusti-
tia.

Qui potest corporalis manducatio tam
magnum quid efficere?
 Responsio.

Manducare & bibere equidem non ef-
ficiunt, Sed illa verba quæ hic stant, P R O
V O B I S D A T V R E T E F F V N D I T V R
in remissionem peccatorum, Quæ verba sunt
circa corporalem huius cibi ac potus partici-
pationem, tanquam caput & summa in Sacra-
men-

mêto. Et qui credit his verbis, ille habet, quod dicunt ac sonant. Nempe, remissionem peccatorum.

Quis autem utitur hoc Sacramento
digne? Responsio.

Ieiunare & corpus suum præparare, est quidem bona & externa disciplina, At ille est vere dignus ac probe paratus, qui habet fidem in hæc verba, PRO VOBIS DATVR ET EFFVNDITVR in remissionem peccatorum. Qui vero his verbis non credit, aut dubitat, ille est indignus ac imparatus. Quia hoc verbum, PRO VOBIS, requirit omnino corda credentia.

QVO PACTO PAEDAGOGI
suos pueros formam Benedictionis,
vnam mane, alteram vesperi dicendam simplicissime docere debeant,

Mane cum surgis electo, signabis te signo sanctæ crucis, dicens.

In nomine Patris / et
C 3 Filij

Filij / et Spiritus sancti / A-
men.

Deinde innitens genibus vel stans, dicas
Symbolum & Orationem Dominicam, Si vis
potes & hanc precatiunculam addere.

GRATIAS ago tibi mi pater cœlestis,
per Iesum Christum filium tuum dile-
ctum, quod me hac nocte, ab omnibus in-
commodis ac periculis conseruasti, Oro te vt
velis me, hac die, quoq; conseruare, a peccato
& omnibus malis, vt tibi omnia mea facta,
atq; adeo tota vita beneplaceant. Quia ego
me, meumq; corpus & animam, ac omnia in
manus tuas committo. Tuus sanctus Ange-
lus sit mecum, ne Diabolus vllum ius in me
reperiat.

Postea alacriter ad tua studia
accedendum.

Ves eri, cum confers te cubitum, signa-
bis te signo sanctæ Crucis, dicens.

In nomine Patris / et
Filij

Filij/et Spiritus sancti/ Amen.

Deinde innitens genibus, vel stans, dicas Symbolum & orationem Dominicam,
Si vis, potes & hanc precatiunculam addere.

GRATIAS ago tibi mi pater cœlestis per Iesum Christum filium tuum dilectum, quod me hac die, gratuita misericordia custodiisti, Oro te, vt velis mihi condonare omnia peccata mea, quæ iniuste perpetravi, velisq; me hac nocte tua gratia benigne conseruare. Quia ego me, meumq; corpus & animam, ac omnia in manus tuas committo. Tuus sanctus Angelus sit mecum, ne Diabolus vllū ius in me reperiat, Amen. Atq; ita tandem secure ac tranquille dormiendum.

QVO PACTO PAEDAGOGI suos pueros Benedictionem mensæ & Gratiarum actionem simplicissime docere debeant.

C

4

Bene

BENEDICTIO MENSÆ.

Pueri debent complicatis manibus, modesti-
am præ se ferentes, ante mensam
stare ac dicere.

OCuli omnium in te spe-
rant Domine / et tu das
escam illorum in tempore
oportuno.

Aperis tu manum tuam /
et implebis omne animal bene-
dictione.

Scholia.

Benedictio, significat hic, quod omne
animal tantum cibi nanciscitur, vt propterea
sit lætum & hilari animo. Nam cura & auari-
ria talem benedictionem impediunt.

Deinde

Deinde orationem Dominicam cum
oratione sequenti.

DOMINE DEUS PATER
COELESTIS / BENEDIC NOS ET HAEC
DONA / QUAE DE TUA LARGITATE
SUMIMUS / PER CHRISTUM DO-
MINUM NOSTRUM /

AMEN =

GRATIARVM
ACTIO.

Sic quoque post sumptum cibum, debent
ad eundem modum modeste, complicatis
manibus dicere.

CONFITEMINI DOMINO
QUONIAM bonus / quoni-
am
CS am

am in aeternum misericordia
eius. Qui dat escam omni
carni / Qui dat iumentis es-
cam ipsorum / et pullis Cor-
uorum inuocantibus eum.
Non in fortitudine equi vo-
luntatem habebit / neque in
tibijs viri beneplacitum erit
ei. Beneplacitum est DOMI-
no super timentes eum / et in
eis qui sperant super miseri-
cordia eius.

Deinde Orationem Dominicam,
cum oratione se-
quenti.

Gras

Gratias agimus tibi
Domine DEUS Pater / per
IESUM CHR Istum Domi-
num nostrum / pro vniuersis
beneficijs tuis / qui viuus et
regnas in secula seculorum /
Amen.

ELEGANTES quaedam ex scriptu-
ra sententiæ, pro omnibus sanctis ordinibus
ac statibus, per quas illi, tanquam propria
quadam lectione, sui officij & muneris admo-
nentur.

EPISCOPI, PAROCHIS
& Concionatori-
bus.

O Portet igitur Episcopum irreprehensi-
bilem esse, vnius vxoris maritum, vigi-
lantem, sobrium, modestum, hospi-
talem

talem, aptum ad docendum, non violentum,
non percussorem, non turpiter lucri cupidum,
sed æquum, alienum a pugnis, alienum ab aua-
ritia, qui suæ domui bene præsit, qui liberos
habeat in subiectione, cum omni reuerentia,
non nouitium, &c. 1. ad Timoth. 3. ad Tit. 1.

QVID DEBEANT AV-
ditores Episcopis
suis.

DOMINVS ordinavit his, qui Euange-
lium annunciant, de Euangelio viuere.
1. Corinth. 9. Communicet Doctore in om-
nibus bonis is, qui docetur verbum, Galat. 6.
qui bene præsunt presbyteri, duplici honore
digni habeantur, maxime qui laborant in
verbo & doctrina. Dicit enim scriptura, Non
alligabis os boui trituranti, Et dignus est ope-
rarius mercede sua Obedite præpositis ve-
stris, & credite eis, ipsi enim vigilant, quasi ra-
tionem pro animabus vestris reddituri, vt
cum gaudio hoc faciant, & non gementes,
hoc enim non expedit vobis, Ebraeo. 13.

De

DE MAGISTRATIBVS.

OMNIS anima potestatibus superemi-
nentibus subdita sit. Non enim est pote-
stas nisi a Deo, Quæ vero sunt potestates a
Deo ordinatæ sunt.

Itaq; quisquis resistit potestati, Dei ordi-
nationi resistit.

Qui autem restiterint, sibîpsis iudicium
accipient. Non enim frustra gladium gestat,
Nam Dei minister est, ultor ad iram ei, qui
quod malum est, fecerit, ad Roma. 13.

QVID SVBDITI MA- gistratibus debeant.

REDDITE, quæ sunt Cæsaris Cæsari,
Matthei. 22 Romano. 13. Omnis anima
potestatibus, &c. Ideoq; necessitate subditi
estote, non solum propter iram, sed etiã pro-
pter conscientiam, Ideo enim & tributa præ-
statis. Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum
seruientes.

Reddite ergo omnibus debita, cui tri-
butum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui ho-
norem, honorem, Romano. 13, Adhortor pri-
mum omnium, fieri obsecrationes, orationes,
inter

Interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus, cum omni pietate & grauitate, j. Timoth. 2. Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, &c. Tit. 3. Subditi estote omni humanae creaturae, propter Dominum, siue Regi, tanquam praecellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis, &c. 1. Petri 2.

MARITIS.

VIRI similiter cohabitent secundum scientiam, velut infirmiori vasi muliebri, impartientes honorem, tanquam etiam cohaeredes gratiae, ne vitae interrumpantur preces vestrae, 1. Pet. 3. Viri diligite uxores, & ne sitis amarulenti aduersus illas, ad Coloss. 3.

UXORIBVS.

SIMILITER uxores subditae sitis vestris viris, tanquam Domino, Quemadmodum Sara obediuit Abrahae, Dominum illum appellans, cuius factae estis filiae, dum benefacitis, & non tremimini villo pauore, 1. Pet. 3.

Paren-

PARENTIBVS.

PATRES ne prouocetis ad iram liberos vestros, sed educetis eos per eruditionem & correptionem Domini, ad Ephe. 6.

LIBERIS.

FILII, obedite parentibus vestris in Domino. Nam id iustum est, Honora patrem tuum & matrem tuam. Quod est præceptum primum in promissione, vt bene tibi sit, & sis longæuus in terra, ad Ephe. 6.

SERVIS, ANCILLIS, MERCE-
narijs, & cæteris ad laborem
conductis.

SERVI, obedite ijs qui, Domini sunt, iuxta carnem, cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis vestri, tanquam Christo, non ad oculum seruientes, veluti hominibus placere studentes, sed tanquam serui Christi, facientes quæ vult Deus ex animo cum beneuolentia, seruientes Domino & non hominibus, illud scientes, quod vnusquisq; quod fecerit boni, hoc reportabit a Deo, siue seruus fuerit, siue liber, ad Ephe. 6. Patri-

**PATRIBUS FAMILIAS
& matribus familias.**

ET vos Domini eadem facite erga illos, remittentes minas, Scientes quod & vester ipsorum Dominus est in cœlis, Nec personæ respectus est apud illum, Ad Ephe. 6.

**COMMUNI IUVEN-
tuti.**

SIMILITER iuniores subditi estote Senioribus, Sic, vt omnes, alius, alij vicissim subijciamini. Humilitatem animi vobis infirmam habete. Propterea quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet, cum erit opportunum, 1. Petri. 5.

VIDUIS.

PORRO, quæ vera vidua est ac desolata, sperat in Deo, ac perseuerat in obsecrationibus ac precationibus nocte dieq;. Porro quæ in delicijs versatur, ea viuens mortua est, 1. Timoth. 5.

Omni

OMNIBVS IN COM.
mune.

Dilige proximum tuum sicut teipsum, in
hoc sermone omnia præcepta summa-
tim comprehenduntur, Ad Roma. 13.

Et ante omnia fiant deprecationes, ob-
secrationes, interpellationes, gratiarum actio-
nes pro omnibus hominibus, &c. 1. Timoh. 2.

Cuiq; sit in primis magnæ suæ lectio curæ,
Ut domus officij stet bene recta suis.

Ein jeder lerne sein Section/
So wird es wol im Hause stahn.

D

Elemen-



ELEMENTA

CHRISTIANAE RELIGIO-
NIS CONSCRIPTA IN

Verficulos, Per Iohan-
nem Sauroman-
num.

DECEM PRAECEPTA.

I.

Non aliena tuis venerabere numina uotis,

II.

Esse Deiq; tui uanos nec nomen in usus.

III.

Septima sacra coles, opera feriatas ab omni.

IIII.

Semper honore tuos merito reuerere parentes,

V.

Non hominem quenquam crudeli morte necabis.

VI.

Alterius caueas lectum temerare iugalem.

VII.

Non furtum facies, digitos cohibebis ab illo.

VIII.

Testis es accitus, nihil attestabere falso.

Nullus

IX.

Nullius adfectes spaciosum tecta per orbem.

X.

Alterius nuptam, seruum, famulas & asellos

SYMBOLVM.

Credo pia in nostrum ratione Deumq; patremq;

Omnia quem statuo numine posse suo.

Qui nitidis stellis clarum fabricauit olympum,

Cuius & est uerbo terra creata pio.

Credo quoq; in Christum simili pietate colendum.

Vnicus est nostri filius ille Dei.

Omnis huic patrij est subiecta potentia regni.

Qua regit arbitrio cuncta creata suo.

Pene fide maius, fuerat conceptus in aluo,

Virginea, afflatu numinis ille sacro.

Postmodo conceptum peperit purissima uirgo,

Quae Maria est certe nomine dicta suo.

Quiq; fuit passus sub iniquo multa Pilato.

Praeside Iudaei Cesareo populi.

Affixumq; cruci miseranda morte necatus,

Morte Palestina deinde sepultus humo.

Interea uindex ad tartara caeca receffit,

Ius adimens nigris imperiumq; deis.

Tercq; ubi praebuerat mundo sua lumina Titan,

Surrexit proprijs uiribus ille suis.

D 3

Stella

Stelligeras scandiūq; domos, ubi cuncti potentis,
Proximus ad dextram nunc sedet usq; patris.
Inde redibit ut & uiuos uitaq; carentes,
Iudicet, & toto quæ sit in orbe fides.
Inq; Dei flatam credo, spirabile numen,
Cuius agunt uitam flamine cuncta saam.
Confiteor sanctos homines coetumq; piorum,
In quibus est ueri cultus amorq; Dei.
Quos quod habent Iesu communia dogmata Christi,
Communi dicas nomine Christicolas.
Omnia per Christum fateor peccata remitti,
Omnibus his quibus est indubitata fides.
Credo quod hæc olim rursus caro nostra resurget,
Quodq; procul dubio uita perennis erit.

ORATIO DOMI- NICA.

Chare Pater summi residens super æthera cæli,
Clarescat sanctum nomen ubiq; tuum.
Adueniant magnum late tua regno per orbem,
Nosq; regat sanctus spiritus ipse tuus.
Fiat & in terris itidem tua ritè uoluntas,
Atq; solet fieri sedibus æthereis.
Da nobis hodie potumq; cibumq; salubrem,
Erudias uerbo pectora nostra tuo.

Da ueniam nostræ dimittens debita culpæ.

Nos siquidem facinus debita missa alijs.

Ne nos tam grauibus feriat tentatio curis,

Cogat ut his nostram succubuisse fidem.

Sed quæcunq; solent nostræ contingere uite,

Omnibus eripias nos pater oro malis.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Christus ad æthereas cum uellet scandere sedes,

Dixit discipulis talia uerba suis.

Ite per extremas, ô uos mea uiscera, gentes,

Cunctos doctrinam meâ docete meam.

Inq; Patris, Natiq; & Flatus numine sancti,

Mortales undis sponte lauate sacris.

Nam qui crediderit, lotusq; erit amne salubri.

Hunc bona perpetuo uita salusq; beant.

Qui sine saluifica fuerit pietate, fideq;

Hunc bona destituent, uita salusq; simul.

DE SACRAMENTO ALTARIS.

Nocte Sacramentum Dominus, qua traditus hosti,

Instituuit firmæ foedus amicitia.

D 3

Acces

Accepit panem, gratesq; ubi ritè peregit,
Discipulis tribuit, sic referendo suis.
Nunc caro namq; mea est, credentes sumite panem.
Quæ modo pro uobis, morte necanda datur.
Nunc quoties editis, memores bene, clara referte,
Ex æquo uitæ, facta necisq; meæ.
Sic ubi cenauit, uini liquore repleta,
Apprendit manibus, pocula deinde pijs.
Utq; patri grates solita pietate peregit,
Porrexit socijs illa bibenda uiris.
Atq; ait hoc iubeo, cuncti simul inde bibatis,
Munera sunt ueri sanguinis ista mei.
Quam modo pro uobis, crucifixo corpore fundam,
Quo sit peccati gratia cuiq; sui.
Nunc quoties bibitis, memores bene, clara referte,
Ex æquo uitæ, facta necisq; meæ.

BENEDICTIO MENSÆ.

His epulis, donisq; tuis benedicito Christe,
Ut foueant iussu corpora fessa tuo.
Non alit in fragili panis modo corpore uitam,
Sermo tuus uitæ tempora longa facit.

GRATIARVM ACTIO.

Post.

Postquam epulis exempta fames, mensæq; remotæ,
Dicemus grates nos tibi summe pater.
Non hæc humanas uires alimenta iuuabunt,
Diuina si non hæ foueantur opo.
Namq; tuo uiuunt agitata à numine cuncta,
Afflatu spirant cuncta ualentq; tuo.
Cumq; epulas dederis, rerum pater optime nobis,
Adde epulis uires pro bonitate tua.
Nunc etiam gratis animis alimenta ministra,
Atq; immortalis pectora pasce cibo.
Et quia cara sumus tua, nos pater optime serua,
Et studia ex uite tempora cuncta rege.

PSALMVS CIII.

SVMMA. Hæc est læta gratiarum actio
de omnibus beneficijs nobis a Deo per Chri-
stũ collatis, qui sedens in cœlis, regnat ubiq;
cui Angeli & omnes creaturæ seruiunt, obe-
diunt, & gratias agunt.

D . 4 . Bene



BENEDIC anima
mea Domino / et
omnia quae in-
tra me sunt no-
mini sancto eius.

Benedic anima mea Domi-
no / et noli obliuisci omnes re-
tributiones eius. Qui propi-
tiatur omnibus iniquitati-
bus tuis / qui sanat omnes
languores tuos. Qui rede-
mit ex interitu vitam tuam /
qui coronat te in misericordia
et miserationibus. Qui replet
in bonis desiderium tuum / re-
noua-


nouabitur vt aquilae iuuen-
tus tua. Faciens misericor-
dias Dominus / et iudicium
omnibus iniuriam patienti-
bus. Notas fecit vias suas
Moysi / filijs Israel volunta-
tes suas. Miserator et miseri-
cors Dominus / longanimis
et multum misericors. Non
in perpetuū irascetur / neque
in aeternum comminabitur.
Non secundum iniquitates
nostras fecit nobis / neque se-
cundum peccata nostra retri-
buit nobis. Quoniam secun-
D S dum


dum altitudinem Coeli a terra
corroboravit Dominus
misericordiam suam super ti-
mentes se. Quantum distat
Oriens ab Occidente / elon-
gabit a nobis iniquitates no-
stras. Quemadmodum mise-
retur Pater Filiorum / miser-
tus est Dominus timentibus
se / Quoniam ipse cognovit
figmentum nostrum. Recor-
datus est / quoniam pulvis
sumus / Homo sicut foenum /
dies eius tanquam flos agri
sic efflorescit. Quoniam Spi-
ritus


ritus pertransibit in illo / et
non subsistet / et non cognosce
amplius locum suum. Mise=
ricordia autem Domini ab
aeterno et vsque in aeternum
super timentes eum. Et iu=
sticia illius super filios filio=
rum / his qui seruant testa=
mentum eius. Et memores
sunt mandatorum eius / ad
faciendum ea. Dominus in
Coelo parauit sedem suam / et
regnum eius omnibus domi=
natur. Benedicite Domino
omnes Angeli eius / poten=
tes

tes virtute / facientes verbum
eius / ad audiendam vocem
sermonum eius. Benedicite
Domino omnes virtutes eius
ius / ministri eius / qui facitis
voluntatem eius. Benedicite
Domino omnia opera eius /
in omni loco dominationis
eius. Benedic anima
mea Domino.









David Chytraeus
1530 - 1600





SEMPER PARATI
VNSER GOTT WILIOHNI

ALV



PARVVS
CATECHIS=

MVS PRO PVERIS

in Schola nuper au-

ctus.

PER

MART. LVTH.



MAGDEBURGAE,

Ex Officina Typographica VVolf-
gangi Kirchneri,

Anno

M. D. LXXVIII.

x-rite

colorchecker



MSCPPCC0319

2019 Edition

